



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Rudolphus II. Imp. Francofurti anno 1577. in politia sub tit. eodem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

utpote juri divino repugnantes, ut supra cap. 1. comprobavi, ac proinde rectius & in his recurritur ad jus Canonicum, propter generalem regulam Innocentii III. in Concilio generali Latera-

nenf. quâ omni constitutioni & consuetudini divi-
vino juri contrariâ derogatur. Extat in cap. ult. ex
De prescript.

Rudolphus II. Imp. Francofurti anno 1577. in politica ordinat. sub tit. eodem.


EAdem repetit & confirmat quæ supra staturit Carolus V. nihil ferè immutato vel addito, quod hic repetere necesse sit: nisi quoddam hic novus §. adjiciatur de obstagiis; cujus verba hæc sunt: Tamen in sacri Imperii politica ordinatione Anno 1548. Augustæ publicata, singulariter provisum sit, quid fieri debeat, ubi obligatio census facta est, cum fidejussoribus in obstagium citandis sive movendis: Nihilominus, cum hæcenus hujus obstagii abusum prospex-

rimus, & tam fidejussores quàm debitores eo ipso in extremam perniciem tendant, nihilo tamen magis consultis creditorum rationibus, quibus solvi non potest: Idcirco volumus omnino, ne obstagia in posterum obligationibus inferantur, & inserta tamquam jure publico interdicta per se irrita sint: & consequenter neminem fidejussorum nec debitorum ad obstagium teneri, neque hospiti ad quem forrè de facto observatum fuit obstagium, expensarum nomine obligari.

Notatio:

VT in obligationibus aliis, majoris securitatis causa accedere solet pignus sive hypotheca, l. Contrahitur 4. cum l. seq. D. De pignorib. vel fidejussores, unus vel plures, l. 1. D. De fidejussorib. Et tit. Inst. in princ. Et §. si plures eod. tit. ita & in hac obligatione census solvendi. De pignore vel hypotheca constat ex cap. 1. Et cap. 2. inf. de Usuris ex Extravag. communib. Martini V. Et Calixti III. Et Pii V. supra recitatis, Et ex l. 1. l. 2. Et l. 6. Cod. De pignor. action. De fidejussoribus colligitur ex cap. Rescripto 9. sup. De jurejur. Et ex cap. Exposita 11. sup. De arbitris, qui tamen sub obstagii fide obligati, hoc §. liberantur. Est autem obstagium, quando fidejussor promittit de perseverando vel sistendo se

certo in loco, donec debitor solutionem fecerit: Venit à verbo *Osids*, unde Itali obstagium derivarunt, Germani, die *Laystung* appellant. Unde & in *Laystung mahnen* id est, quod monere aliquem, ut in locum certum ex promisso veniat, ut hic. Quod etsi jure Canonum receptum est in d. cap. Ex rescripto, hac tamen constitutione Rudolphi II. Imp. improbatum & irritatum, tamquam juri publico adversans, ita quod ex eo nulla amplius nascatur obligatio, saltem quoad ditiones Imperii. Meminit & hic §. obstagii antè prohibiti sub Carolo V. Augustæ anno 1548. sed quæ prohibitio minus plena est, & idcirco hic repetendam non duximus.



IOAN. VVIRINGI, Campensis,

J. U. D. ET CANONUM PROFES. R.

IN ACADEMIA LOVANIENSI

IN LIBRUM V. DECRETALIVM

EPIST. GREGORII XIII. P. M. COMMENTARIUS,

Nunc primùm editus & auctarii vice huic Operi insertus,

PRÆ.